

G Neq; enim in hac creatura mundi siqua nobis difficilia intelletur videntur, & incōprehensibilia ingenio nostro, temerario quodam debemus condemnare iudicio, vt creaturam serpentium, venenatiq; alicuius animatis: quippe homines qua ratione singula quæq; sint facta, intelligere adhuc & scire non possumus. Sic ergo & in scripturis diuinis nō facile reprehendamus aliquid quod intelligere non possumus. Sunt enim pluri- ma quæ non nostro ingenio metienda sunt, sed ex altitudine dispositionis & verbj sunt æstimanda. Pone enim, sine præiudicio tamen assertionis futuræ, ideo tibi hoc lignum de scientia boni aut mali displicere, quia posteaquam gustauerunt ex eo homines, intellexerunt se nudos. Attamē ad cōsummationem diuinæ operationis dicam tibi & hoc lignum in paradiso exortū, & ideo a deo esse permissum, vt possumus supereminētia boni scire. Quomodo enim si nō esset scientia boni & mali, inter bonum & malum discretionē aliquam disceremus? Nam neq; quod malum erat, malum iudicamus esse, nisi esset scientia boni. Scientia autem boni esse non posset, nisi esset & mali. Neq; rursus quod bonū erat, sciremus bonum esse, nisi esset scientia mali.

H pe exemplum de ipsa conditione humani corporis. Nēpe habet & amaritudinem quādam fellis: quæ, si in cōmune proficiat, ad salutem hominis utilis inuenitur. Ergo & quod malum putamus, plerūq; nō per omnia malum est, sed in cōmune vtile. Nam sicut fel in parte est corporis, & tamen ad totius utilitatem corporis prodest, ita vilitati omnium profuturam sciens deus scientiam boni & mali, in parte constituit, vt in cōmune prodesset. Deniq; serpētē in paradiso inuenis, vtiq; non sine dei voluntate generatum. In serpentis autē figura diabolus est. Fuisse enim diaboli in paradiso etiā

Ezec. 28.

Ezechiel propheta docet, qui dicit super principē Tyri: In voluptate, inquit, paradisi factus es. Principem Tyri autem i figura accipimus diaboli. Numquid & hinc accusabimus deum, quia thesauros eius altitudinis & scientiæ absconditos in Christo & occultos comprehendere nō possumus, nisi quos ipse reuelare dignatus est? Reuelauit tamen vt sciremus etiam diaboli malitiam ad salutem prodesse hominib; , non quod diabolus prodesse velit, sed quod malitiam eius etiam repugnantis conuertit nobis dominus ad salutē. Deniq; huius malitia Iob sancti viri fecit esse virtutē & patientiam clariorē. Huius malitia iustitiam eius exercuit, vt certaret & vinceret, & victoriā corona sequeretur. Nemo enim nisi qui legitime certauerit coronatur. Ioseph quoque castimonia nunquam ad nostri memoriam peruenisset, nisi mulier domini eius cōtubernalis ignitis diaboli spiculis incitata tentasset eius affectum, nisi postremo affectasset eius interitum, quo clarior esset castimonia viri, qui mortem pro castitate contempserit. Vis scire consilium dei? Nempe diabolo autote necesse videtur iustis hominibus præparari, exerceri quoq; parricidia filiorum. Attamē dominus etiam Abraham hac arte tentauit, vt immolari sibi filium ab eodem postularēt. Qua tentatione Abraham fidelis est domino cōprobatus, qd a deuotionis obsequio nec dilecti filii misericordione reuocatus sit. Ita ergo & lignū scientiæ boni & mali i paradiso, quod erat speciosum ad visum, & bonum ad escam specie videbatur. Non enim vsu bonum ad escam erat, quonia esca eius videtur hoibus obfusisse. Ergo est quod singulis noceat, in cōmune profuit, vt inde nocuit diabolus, sed præter illum oēs Apostolos coronauit, qui malitiæ eius tentamenta vicerunt. Itaq; neq; dubitandum, neq; reprehendendum quod in paradiso diabolus erat, qnquidē occludere sanctis nō potuit iter ne quis ascēderet. Neq; enim iustis habitationē incolatus tanq; possessor eripuit. Esto enim vt aliquos desides atq; vitiosos ab incolatu supernæ possessionis auerterit, illud multo augustius, multoq; pulchrius, qd sanctorū

I

orationib; excluditur, tam cōpletū fuerit illud: Videbam fatanā sicut fulgur de cælo cadentē. Ergo nō metuamus eum, qui eousq; infirmus est, vt & ipse casurus sit in terrā. Accepit quidē tēdandi licentiā, sed non accipit copiam subruendi, nisi sua sponte labatur infirmus affectus, qui sibi auxiliū non norit accersire. Et ideo qua fraude tentauerit primum hominē, quidve in homine putauerit esse tēdandum, quo ordine, qua arte, cognoscere opus est, vt cauere possumus. Pleriq; tamē qui voluit in paradiso diabolum non fuisse, licet in cælo astantē cū angelis legerimus, ne in isto sermone videantur offendī, secundum suā accipiunt voluntatem interpretatiōnem istius lectionis. Nanq; ante nos fuit qui per voluntatem & sensum præuaricationē ab homine memorauerit esse cōmissam, in specie serpentis figurā accipiens delectationis, in figura mulieris sensum animi mētisq; constituens, quā dicitur vocat Græci. Deceptā autē per sensum præuaricatricem secundum historiam mentē asseruit, quā Græci vsq; vocant. Recte igitur in Græco vsq; viri figurā accipit, dicitur mulieris. Vnde & quidam Adam vsq; terrenum interpretati sunt. Dominus autem virginis illas in Euangelio accensis facibus vel extinctis expectantes sponi aduentum pro sensibus vel integris sapientium, vel corruptis insipientium posuit. Nā si Eva, hoc est sensus primæ mulieris, accensas habuisset facies, nunquā præuaricationis suæ nos crinictur- lis iplica set, neq; ex illa virtutis immortalitate cecidisset.

2. Tim. 2.

Quæ subsidia in tolerandis periculis habet anima per paradysum figurata ex fonte diuiso in quatuor initia siue flumina, in quibus quatuor virtutes principales exprimuntur, quæ etiam velut mundi istius incluserunt tempora. Caput III.

ST ergo paradysus terra quædam fertilis, hoc est anima foecūda, in Eden plātata, hoc est in voluptate quædam, vel exercitata terra in qua animæ sit delectatio. Est etiā vsq; tãquam Adam, est & sensus tanquam Eva. Acne haberes quod ad infirmū retorqueres naturæ, vel ad obnoxiam in tolerandis periculis conditionē, cōsidera quæ habeat anima ista subsidia. Erat fons qui irrigaret paradysum. Qui fons, nisi dominus Iesus Christus, fons vitæ æternæ, sicut & pater quia scriptum est: Quoniam apud te fons vitæ. Deniq; flumina de ventre eius fluent aquæ vitæ. Et fons legitur, & fluius legitur, qui irrigat paradysum fructuosum, quod ferat fructum in vitam æternam. Hic ergo fons, sicut legitur: Fons enī procedit, inquit, ex Eden, id est in anima tua fons est. Vnde & Salomon ait: Bibe aquam de tuis vasibus, & de puteorum tuorum fontibus. Hic est fons qui procedit ex illa exercitata & plena voluptatis anima. Hic fons qui irrigat paradysum, hoc est virtutes anime eminentissimo merito pullulantis. Et diuiditur, iugis, hic fons in quatuor initia. Nomen est vni Phison, hic est qui currit omnem terrā Euilath, vbi est aurū. Terræ autem illius aurum bonū est, vbi est carbūculus, & lapis prasi. Et nomen secūdi Geon, hic est qui circuit omnem Ethiopiam. Et flumē tertium Tigris, hic est qui vadit contra Assyrios. Et flumen quartum est Euphrates. Hæc igitur quatuor sunt flumina, hoc est Phison, secūdi Hebræos Phison dicitur, Gages autē secūdi Græcos: qui fluit cōtra Indiā. Geon autē Nilus, qui circuit terrā Egipti vel Ethiopiā. Mesopotamia autem dicitur, qd Tigris & Euphrates incluserint eā, eo quod inter duo hæc flumina constituta sit, quod etiam longe positus nomen ipsum & opinio cōmunis expressit. Sed quæ ad modum fons dicitur sapientia dei? Fōs enim est secūdi euangelium dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Fons est & secundum prophetam qui ait: Venite & edite de meis panibus, & bibite vinū



Lucæ. 10.

L

M

Psal. 36.
Ioan. 7.

Prouer. 5.

Ioan. 7.
Prouer. 9.